

AVREA BVLLA KAROLI IIII. ROM. IMPERATORIS:

Ex archiuo Illuſtriſſimi Princ. Electoris Palatini.

Omnipotens eterne Deus, ſpes vnica Mundi,
Qui celi fabricator ades, qui conditor orbis,
Tu populi memor eſto tui: ſic mitis ab alto
Proſpice, ne greſſum faciat vbi regnat Erinis,
Imperat Allecto, leges dictante Megera:
Sed pocius virtute tui, quem diligis, huius
Ceſaris inſignis Karoli, Deus alme miniſtra
Vt valeat, ductore pio per amena vireta
Florentum ſemper nemorum ſedesq; beatas,
Ad latices intrare pios, vbi ſemina vite
Diuinis animantur aquis, ac fonte ſuperno
Letificata ſeges ſpinis mundatur ademptis,
Vt meſſis queat eſſe Dei, mercisq; future
Maxima centenum cumulare per orrea fructum.





HEIDELBERGÆ, ANNO MDXCIIII.

[AVREÆ BVLLÆ CAPITA]



N NOMINE SANCTE ET INDIVIDVE TRINITATIS feliciter, Amen. KAROLVS QVARTVS, diuina fauente clementia, Romañ Imperator semper augustus & Boemie Rex, Ad perpetuam rei memoriam. Omne regnum in seipso diuisum desolabitur. nam Principes eius facti sunt socii furum. ob quod Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, vt palpent in meridie sicut in tenebris: & candelabra eorum mouit de loco suo, vt ceci sint, & duces cecorum: & qui ambulant in tenebris, offendunt, & ceci mente scelera perpetrant, que in diuisione contingunt. Dic Superbia, quomodo in Lucifero regnasses, si diuisionem auxiliatricem non habuisses. Dic Sathan inuide, quomodo Adam de Paradiso eiecisses, nisi eum ab obedientia diuisisses. Dic Ira, quomodo Romanam rempublicam destruxisses, nisi in diuisione Pompeium & Iulium seuientibus gladiis ad intestina prelia concitasses. Dic Luxuria, quomodo Troianos destruxisses, nisi Helenam a viro suo diuisisses. Tu quidem inuidia Xp̄ianum Imperium a Deo ad instar sancte & indiuidue Trinitatis, fide, spe, & caritate, virtutibus Theologicis roboratum, cuius fundamentū super Xp̄ianissimo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, quod velut serpens in palmites Imperiales, & membra eius propinquiora, impio scelere vomuisti, vt concussis columpnis, totum edificium ruine subiceres, diuisionem inter septem Electores sacri Imperii, per quos velut septem candelabra lucentia in vnitate spiritus septiformis sacrum illuminari debet Imperium, multociens posuisti. Sañ cum tamen ex officio, quo Cesarea dignitate potimur, futuris diuisionum & dissensionum periculis inter Electores ipsos, de quorum numero vt Rex Boemie esse dinoscimur, ratione duplici, tam ex Imperio quam electionis iure, quo fungimur, occurrere teneamur, infra scriptas leges, ad vnitatem inter Electores fouendam & electionem vnanimem inducendam, ac detestande diuisioni predi-

cte variisque periculis ex ea sequentibus aditum precludendum, in solempni curia nostra Nurembergeñ. assidentibus nobis omnibus Principibus Electoribus ecclesiasticis & secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, procerum, nobilium, & ciuitatum multitudine numerosa, in solito maiestatis Cesaree, Imperialibus insu'is insigniis, & diademate coronati, matura deliberacione preuia, de Imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus & duximus sanccieudas, sub anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimosexto, Indiccione nona IIII Idus Ianuarii, regnorum nostrorum anno decimo, Imperii vero primo.

1] *Qualis esse debeat conductus Electorum, & a quibus.*

DEcernimus & presenti edicto Imperiali perpetuo valituro sanccimus, ex certa scientia, & de Imperialis plenitudine potestatis, vt quotienscumq; & quandocumq; futuris temporibus necessitas siue casus electionis Regis Romañ in Imperatoré promouendi emerserit, & Principes Electores ad electionem huiusmodi, iuxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint proficisci, vnusquisque Princeps Elector, si & quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet Principes coelectores suos, vel ipsorum nuncios, quos ad electionem ipsam transmiserint; per terras, territoria & loca sua, & etiam vltra, sicut longius poterit, conducere teneatur, & eis absque dolo prestare conductum, versus ciuitatem in qua talis electio fuerit celebranda, & ab illa etiam redeundo, sub pena periurii & perdicionis, pro illa dumtaxat vice, sue vocis quam in electione huiusmodi fuerat habiturus. Quas quidem penas eos vel eum qui in prestando memorato conductu rebelles seu rebellem, negligentes vel negligentem se prebuerint, eo ipso decernimus incidisse.

Statuimus insuper & mandamus vniuersis aliis Principibus, feuda a sacro Imperio Romano tenentibus, quocumque nomine censeantur, nec non Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, nobilibus & ignobilibus, ciuibus & communitatibus castrorum, ciuitatum & locorum sacri Imperii vniuersis,

uerſis, vt eodē tempore, dum videlicet Regis Romañ in Imperatorem promouendi electio celebranda occurrerit, vnumquemque Principem Electorem ab ipſis vel eorum aliquo conductum huiusmodi poſtulantem, vel eiusdem nuncios, quos ad electionem ipſam duxerit, vt prefertur, per territoria ſua & al̄, quanto poſſint remocius, absque dolo, modo predicto conducant. Si qui vero huic noſtre conſtitutioni contraire preſumpſerint, ſupra ſcriptas eo ipſo penas incurrant. Omnes quidem Principes & Comites, Barones, nobiles, milites & clientes, & vniuerſi nobiles contrarium facientes, reatum periurii & priuacionem omnium feudorum, que a ſacro Romano Imperio & a quibuscumque aliis obtinent, & etiam omnium poſſeſionum ſuarum a quocumque habitarum, incurrant. Omnes quoque ciues & communitates contra premiſſa facere preſumentes, ſimiliter ſint periuri, & nichilominus vniuerſis ſuis iuribus, libertatibus, priuilegiis & gratiis a ſacro obtentis Imperio, ſint omnes priuati, & cum perſonis & bonis ſuis omnibus, bannum & proſcriptionem Imperialem incurrant: & eoſdem quos ipſo facto exnunc, prout extunc, iure priuamus. Deinceps cuilibet homiñ auctoritate propria & ſine iudicio ſeu inuocacione magiſtratus cuiuslibet, impune licebit inuadere; nullamque penam propter hoc inuadens ipſos debebit ab Imperio aut quouis alio formidare, preſertim cum contra Rempublicam ac ſacri ſtatum ac dignitatem Imperii, ac etiam contra honorem proprium & ſalutem, tantæ rei temerarii neglectores, tamquam rebelles, inobedientes, & perfidi, infideliter & peruerſe agere conuincantur.

Decernentes inſuper & mandantes, vt omnium ciuitatum ciues & communia iam dictis Principibus Electoribus & eorum cuilibet hoc poſcenti, eorumque nunciis, victualia in communi precio atque curſu pro ſuis, ſeu nunciorum predictorum hominumque ſuorum neceſſitatibus, dum ad predictam ciuitatem cauſa celebrande electionis predicte acceſſerint, ac etiam dum diſceſſerint ab eadem, vendere, ſeu vendi facere teneantur: nullam in premiſſis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioquin contrarium facientes, penas illas

volumus ipso facto incurrere quas in precedentibus contra ciues & communitates duximus promulgandas. Quisquis insuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, nobilibus seu ignobilibus, ciuibus seu cōmunitatib. ciuitatum, Principi Electori ad electionem de rege Romanorū celebrandā eunti, vel ab ipsa denuo redeunti, hostiles custodias tendere, seu insidias parare presumpserit, aut ipsos vel eorum aliquem in sua vel suorum personis aut rebus inuadere vel turbare, seu ipsorū vel alicuius eorū nuncios antedictos, siue conductum petierint, siue etiam non duxerint erogandum: hunc vna cum vniuersis malicie sue complicibus, ipso facto supradictas penas decernimus incurrisse: Ita videlicet quod queuis persona penam incidat, siue penas, quas iuxta premissa pro qualibet personarum duximus infligendas. Si vero aliquis Princeps Elector cum aliquo suo coelectore inimicicias gereret, & inter eos quecunque contencio, controuersia seu dissensio verteretur: hiis nequaquam obstañ alter alterum vel alterius nuncios ad electionem huiusmodi destinandos, premisso modo conducere sit astrictus, sub pena periurii ac perdicionis, dumtaxat ista vice, sue vocis in electione, vt superius est expressum.

Si qui vero alii Principes, Comites, Barones, milites, cliētes, nobiles & ignobiles, ciues vel cōmunia ciuitatū, cum aliquo Principe Electore, vel plurib⁹ ex eisdē, aduersam gererēt voluntatem, seu queuis discordia inter ipsos adinuicē vel gvverra siue dissensio verteretur, nichilomin⁹ omni contradictione & dolo cessantibus, Principi Electori vel Principibus, seu eius vel ipsorū nunciis ad electionē huiusmodi destinandis, & redeuntibus ab eadē, talē debeant pstare conductū, prout singuli penas iā dictas, p nos videlicet in se latas, voluerint euitare: quas eos qui secus fecerint incurrisse decernimus eo ipso. Ad premissorū autē omnium firmitatē, & certitudinem ampliorē, iubemus & volumus vt vniuersi Principes Electores, & ceteri Principes, nec non Comites, Barones, Nobiles, Ciuitates, seu ipsarū cōmunitates, pmissa omnia litteris & iuramentis suis firmare, & ad ea bona fide ac sine dolo implenda efficaciter se debeant obligare. Quicūque vero litteras huiusmodi

modi dare renuerit, penas illas ipso facto incidat, quas p personarum condicione p premissa singulis duximus infligendas.

Si quis autem Princeps Elector, aliusve Princeps cuiuscũq; cõdicionis aut status, feudũ vel feuda a sacro tenens Imperio, aut Comes, Baro vel nobilis, seu successores taliũ vel heredes, supra & infra scriptas Imperiales nostras constituciones & leges adimplere noluerit, aut eis cõtraire presumpserit, si quidem talis Princeps Elector extiterit, extũc ceteri sui coelectores a suo ipsum deinceps excludant consorcio, ipseq; voce eleccionis & aliorum Principũ Electorũ loco dignitate careat atque vice, nec inuestiatur de feudis que a sacro Imperio visus fuerit obtinere. Alius vero Princeps aut vir nobilis, vt prefertur, in has nostras leges committens, similiter non inuestiatur de feudis que a sacro Imperio vel alias obtinet a quocunque: & nichilominus omnes penas premissas suam concernentes personam incidat eo ipso.

Quamuis autem vniuersos Principes, Comites, Barones, nobiles, milites, clientes, Ciuitates quoq; & communitates illarum ad prestandũ cuilibet Principi Electori vel eius nunciis prefatum conductum, vt predicitur, indistincte velimus & decreuerimus obligari, nichilominus eorum cuilibet singulares conductus & conductores pro regionum & locorum adiacentia cuilibet magis aptos duximus designandos, vt statim per sequentia plenius apparebit.

Primo namq; Regem Boemie sacri Imperii Archipincernam, conducent Archiepiscopus Moguntineñ, Bambergeñ & Herbipolcñ Episcopi, Burggrauii Nurembergñ: item illi de Hohenloch, de VVertheim, de Brunecke, & de Hanovve: Item ciuitates Nuremberg, Rotenburg, & VVindesheim.

Deinde Archiepm Colonieñ, sacri Imperii per Italiã Archicancellariũ conducẽt & cõducere tenebũtur Moguntiñ & Treuereñ Archiepi, Comes Palatinus Reni, Langgrauius Hassie: item de Catzenelbogen, de Nassovv, de Dietze Comites: itẽ de Isemburg, de VVesterburg, de Runkel, de Limpurg & Valkẽstein, itẽ ciuitates Wetflaria, Geylnhusen & Fridberg.

Item Archiepm Treuereñ, sacri Imperii p Galliam & regnũ Arelañ Archicancell, conducent Archieps Moguntiñ,

Comes Palatinus Reni: item de Spanheim, de Veldentz Comites: item die Rugrauen, VVildegrauen, de Nassovv, de Isemburg, de VVesterburg, de Runkel, de Limpurg, de Dietz, de Catzenelbogen, de Eppenstein, de Valckenstein, item ciuitas Moguntiñ.

Deinde Comitem Palatinum Reni, sacri Imperii Archidapiferum, conducere debebit Archiepiscopus Moguntiñ.

Ducem vero Saxoniæ sacri Imperii Archimarescallum, tenebitur conducere Rex Boem̃, Moguntiñ & Magdeburgeñ Archiepiscopi: Item Bambergeñ & Herbipoleñ Episcopi, Marchio Misneñ, Langgrauius Hassiæ: item Fuldeñ & Hersueldeñ abbates, Burggrauii Nurembergeñ: item illi de Hohenloch, de VVertheim, de Brunecke, de Hanovv & de Valkenstein: item Ciuitates Erfordia, Mulhusen, Nuremberg, Rotemburg, & VVindesheim. Et hii omnes proxime nominati Marchionem Brandenburgeñ sacri Imperii Archicamerarium, similiter conducere tenebuntur.

Volumus autem & expresse statuimus, vt vnusquisque Princeps Elector, qui talem voluerit habere conductum, hiis a quibus ipsum postulare decreuerit, hoc ipsum adeo tempestiue, viamque qua fuerit transiturus, insinuet, & talem conductum exposcat, vt illi qui ad conductum huiusmodi impendendum deputati, & qui fuerint requisiti, ad hoc oportune valeant & commode preparare.

Premissas vero constituciones circa materiam conductus editas, ita sane debere declaramus intelligi, vt vnusquisque superius nominatus, vel forsan non expressus, a quo in casu premisso conductum requiri contigerit, ad prestandum ipsũ per suas dumtaxat terras & territoria, ac etiam vltra, quanto potest remotius, absque dolo, sub penis contentis superius sit astrictus.

Preterea statuimus ac etiam ordinamus, vt Archiepiscopus Moguntineñ, qui fuerit pro tempore, singulis Principibus coelectoribus suis, ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem, per suos nuncios, patentibus debeat litteris intimare. In quibus quidem litteris talis dies & terminus exprimatur, infra quem eedem littere ad singulos eosdẽ Principes

cipes verisimiliter possint conuenire. Huiusmodi vero litterę continebūt, vt a die in litteris ipsis expressa infra tres menses continuos omnes & singuli Principes Electores Frankenford super Mogan̄ esse debeant constituti, vel suos legales ad eundem terminum atque locum nuncios destinare cum plena & omnimoda potestate, suisque patentibus litteris maiori cuiuslibet eorum sigillo signatis, ad eligendum Roman̄ Regem in Cesarem promouendum.

Qualiter autem & sub qua forma tales litterę confici debeant & que in eis solempnitas debeat immutabiliter obseruari, & in qua forma & modo Principes Electores nuncios suos ad electionem huiusmodi destinandos ad potestatem, mandatum, seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem presentis libri, conscriptum inuenitur clarius expressum: Et eandem formam illic traditam mandamus, & de Imperialis potestatis plenitudine vsquequaque decernimus obseruari.

Cum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Roman̄ obitu in dioc̄ Moguntin̄ constiterit, extunc infra vnum mensem a die notitie obitus huiusmodi continue numerandum, singulis Principibus Electoribus, obitum ipsum & intimationem de quibus premittitur, per Archiepiscopum Moguntin̄ iubemus & decernimus suis patentibus litteris declarari. Quod si idem Archiepiscopus in executione & intimatione huiusmodi, negligens aut remissus fortassis existeret, extunc idem Principes motu proprio, etiam non vocati, pro fidei sue virtute, qua sacrum prosequi tenentur Imperium, post hoc infra tres menses, sicut in constitutione proxime posita supra continetur, in ciuitate Frankenforden̄ sepedicta conueniant, electuri Regem Roman̄ in Cesarem promouendum.

Debet autem vnusquisque Princeps Elector, vel sui nuncii, predictam ciuitatem Frankenforden̄ cum ducentis equitaturis tantummodo prefate eleccionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos vel paucio res secum introducere poterit, sed non plures.

Princeps vero Elector ad electionem huiusmodi vocatus & requisitus, & ad ipsam non veniens, vel legales nuncios

cum litteris patentibus sigillo suo maiori sigillatis plenamq; & liberam ac omnimodam potestatem continentibus ad eligendum Romañ Regem futurum Imperatorem, non dirigens aut veniens, aut huiusmodi nuncios forte transmittens, si postea Princeps ipse, aut prædicti nuncii a predicto electionis loco recederent, Rege Romañ futuro Cesare non electo, nec ad premissa procuratore legittimo substituto solempniter & relicto, electionis voce seu iure quod in eadem electione habuit & tali modo deseruit, careat ista vice.

Iniungimus autem ciuibus de Frankenford, & mandamus, vt ipsi vniuersos Principes Electores in genere, & quemlibet eorum, ab inuasione alterius, si quid inter eos aduersitatis emergeret, & etiam ab omni homine cum omnibus eorum hominibus quos ipsi & eorum quilibet in prefato ducentorum equorum suorum numero ad prefatam duxerint ciuitatem, in virtute iuramenti quod super hoc ipsos ad sancta prestare statuimus, fideli studio & solerti diligentia protegant & defendant: Alioquin periurii reatum incurrant, & nichilominus omnia iura sua, libertates, gratias & indulta, quæ a sacro obtinere noscuntur Imperio, omnino ammittant, bannumque Imperiale, cum personis & bonis suis omnibus, incidant eo ipso: Et liceat extunc omni homini auctoritate propria, ac sine iudicio, ciues eosdem quos eo casu exnunc, prout extunc, omni iure priuamus, tanquam proditores infideles & rebelles Imperii, impune inuadere: Ita quod inuadentes huiusmodi, penam quamcumque a sacro Imperio, vel quouis alio, nequaquam debeant formidare. Ciues insuper antedicti de Frankenford, per omne tempus, quo super electione sepe dicta tractari & agi contigerit, neminem in prefatam ciuitatem, cuiuscumque dignitatis, condicionis vel status extiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittant: Principibus Electoribus, & eorum nunciis & procuratoribus antedictis dumtaxat exceptis: quorum quilibet cum ducentis equis debebit, vt predicitur, intromitti. Si vero post ipsorum Principum Electorum introitum, seu in ipsorum presentia, in prefata ciuitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum ciues ipsi debebunt absque mora &

cum

cum effectu protinus ordinare, sub omnibus penis contra ipsos superius promulgatis, ac etiam in virtute Iuramenti, quod ciues ipsi de Frankenfort, super eo virtute presentis constitutionis prestare debebunt ad sancta, vt in precedentibus est expressum.

11] *De electione Roman̄ Regis.*

POstquam autem sepedicti Electores seu nuncii ciuitatem Frankenfort ingressi fuerint, statim sequenti die diluculo, in Ecclesia sancti Bartholomei Apostoli ibidem in omnium ipsorum presentia, missam de sancto Spiritu faciant decantari ad finem, vt ipse sanctus Spiritus corda ipsorum illustret & eorum sensibus lumen sue virtutis infundat, quatenus ipsi suo fulti presidio, hominem iustum, bonum & vtilem eligere valeant in Regem Roman̄ futurumq; Cesarem, ac pro salute populi Christiani. Peracta quoque missa huiusmodi, omnes illi Electores seu nuncii accedant ad altare, in quo missa eadem extitit celebrata, vbi Principes Electores ecclesiastici coram Evvangelio beati Iohannis, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reuerentia superponant: Seculares vero Principes Electores, dictum Evvangelium corporaliter manibus suis tangant: qui omnes, cum tota ipsorum familia tunc ibi debebunt inermes assistere. At Archiepiscopus Moguntin̄ formam Iuramenti eis dabit, & vna cum ipsis & ipsi, vel absencium nuncii, vna cum eo iuramentum præstabunt vulgariter in hunc modum:

Ego Archiepiscopus Moguntinen̄ sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, iuro ad hec sancta Dei Evvangelia, hic presentialiter coram me posita, quod ego per fidem qua Deo & sacro Romano Imperio sum astrictus, secundum om̄ discretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Christiano, id est Regem Roman̄ in Cesarem promouendum, qui ad hoc existat ydoneus, in quantum discretio & sensus mei me dirigunt, & secundum fidem predictam, vocemq; meam, & votum seu electionem prefatam dabo, absq; omni

pacto, stipendio, precio, vel promisso, seu quocumque modo talia valeant appellari, sicut me Deus iuuet & omnes sancti.

Præstito denique per Electores seu nuncios in forma & modo predictis, huiusmodi Iuramento, ad electionem procedant, nec ammodo de iã dicta ciuitate Frankefort separentur, nisi prius maior pars ipsorum, temporale caput mundo elegerit seu populo Xpiano, Regem videlicet Romañ in Cesarem promouendum. Quod si facere distulerint infra triginta dies a die prestiti Iuramenti pref. ti continuo numerandos, extunc transactis eisdem triginta diebus, ammodo panem manducent & aquam, vt nullatenus ciuitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos, vel maiorem partem ipsorum, Rector & temporale caput fidelium electum fuerit vt prefertur.

Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars ipsorum maior numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus nemine discrepante concorditer celebrata. Sique per tempus aliquod morari, abesse & tardare contingeret aliquem de Electoribus seu nunciis antedictis, dum tamen veniret antequam predicta esset electio celebrata, hunc ad electionem ipsam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa aduentus sui tempore consistebat.

Et quia de antiqua approbata, & laudabili consuetudine inconuulse quod subscribitur semper hactenus extitit obseruatum: Ideoque & nos constituimus, & de Imperialis decernimus plenitudine potestatis, quod is qui modo premisso in Regem fuerit Romanum electus, peracta statim electione huiusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis siue negociis virtute sacri Imperii administret, vniuersis & singulis Principibus Electoribus ecclesiasticis & secularibus qui propinquiora sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum priuilegia, litteras, iura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio vsque in diem electionis sue obtinuerunt & possederunt, absq; dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per suas litteras & sigilla, ipsisque premissa omnia

omnia innouare, postquam Imperialibus fuerit infulis coronatus.

Confirmationem autem huiusmodi, electus ipse cuilibet Principi Electori in specie primo suo nomine Regali faciet, & deinde sub Imperiali titulo innouabit, & in his ipsos Principes in genere, & quemlibet eorum in specie, nullatenus impedire, sed potius absque dolo generose tenebitur promouere.

In casu denique quo tres Principes Electores presentes, seu absentium nuncii, quartum ex se seu ipsorum consortio, videlicet Principem Electorem presentem vel absentem, in Regem Romañ elegerint, vocem illius electi, si presens affuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contingeret, plenum vigorē habere & eligentium augere numerum partemque maiorem decernimus constituere, ad instar ceterorum Principum Electorum.

III] *De sessione Treuereñ Coloniensis & Moguntini Archiepiscoporum.*

IN nomine sancte & indiuidue Trinitatis feliciter, Amen. Carolus quartus, diuina fauente clementia Romañ Imperator semper augustus & Boemie Rex, Ad perpetuam rei memoriā. Decor & gloria sacrosancti Romani Imperii, & honor Cesareus, & reipublice grata compendia, venerabilium & illustrium Principum Electorum concordi voluntate fouentur: qui velut columpne proceres sacrum edificium circum pecte prudentie solerti pietate sustentant: quorum presidio dextera Imperialis potentie roboratur: & quanto mutui fauoris ampliori benignitate stringuntur, tanto vberioris pacis & tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Xp̄iano. Vt igitur inter venerabiles Moguntiñ, Colonieñ nec non Treuereñ Archiepiscopos, sacri Imperii Principes Electores, omnium litium & suspectuum que & qui de prioritate seu dignitate sessionum suarum in Curiis Imperialibus & Regalibus suboriri valerent, imposterum perpetuis in antea temporibus amputentur, & ipsi in cordis & animorum quieta condicione manentes, de oportunita-

tibus sacri Imperii concordi fauore & virtuose dilectionis studio conuenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani, habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tam ecclesiasticis quam secularibus, & de ipsorum consilio, decernimus & de Imperatorie potestatis plenitudine hac edictali lege perpetuo valitura sancimus, quod supradicti venerabiles Archiepiscopi, Treuereñ videlicet ex opposito, ex liniari directione versus Imperatoris faciem: Moguntiñ vero in suis dioc̄ & prouincia, & extra prouinciam suam, in toto cancellariatu suo Germanico, prouincia Coloñ dumtaxat excepta: & demum Coloñieñ in suis dioc̄ & prouincia, & extra prouinciam suam, in tota Italia & Gallia, in dextro latere Romañ Cesaris, sedere possint, valeant, & debeant, in omnibus publicis actibus Imperialibus, puta iudiciis, collocacionibus feudorum, & in refectionibus mensarum, ac etiam in consiliis & omnibus aliis agendis propter que contingit seu cōtinget eos pro honore seu vtilitate Imperiali tractandis mutuo conuenire. Et hunc modum sessionis sub omni eo ordine sicut expressatur superius, ad predictorum Coloniceñ, Treuereñ & Moguntineñ Archiepiscoporum successores perpetuo extendi volumus, vt nullo vmquam tempore super hiis queuis dubietas generetur.

IIII] *De Principibus Electoribus in communi.*

STatuimus insuper vt quotienscumque Imperialem curiam exnunc inantea celebrare contigerit, in qualibet sessione, videlicet tam in consilio quam in mensa & locis aliis quibuscumque vbi Imperatorem vel Regem Romañ cum Principibus Electoribus sedere contigerit, a dextro latere Imperatoris vel Regis Romañ immediate post Archiep̄m Moguntiñ vel Coloñ, illum videlicet quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate prouinciarum, iuxta priuilegii sui tenorem, dicto lateri dextro Imperatoris assidere contigerit, Rex Boemie, cum sit Princeps coronatus & vnctus, primum, & post eum continuo Comes Palatinus Reni secundum sedendi loca debeant obtinere: Ad sinistram vero partem immediate post illum quem ex predictis Archiep̄is in late-

In latere finistro sedere continget, primum locum Dux Saxonie, & post eum Marchio Brandemburgñ alterum obtinebit.

Ceterum quotiens & quando deinceps sacrum vacare continget Imperium, extunc Moguntiñ Archiepiscopus potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dinoscitur ab antiquo, ceteros Principes antedictos, suos in dicta electione consortes, litteratorie conuocandi. Quibus omnibus, seu hiis qui potuerint & voluerint interesse in electionis termino inuicem congregatis, dictus Archiepiscopus Moguntiñ, & non alter, eorundem coelectorum suorum vota singulariter habebit inquirere, ordine subsequenti.

Primo quidem interrogabit a Treueren̄ Archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut inuenimus hactenus competiisse: Secundo a Colonieñ Archiepiscopo, cui competit dignitas nec non officium Roman̄ Regi primum diadema Regium imponendi: Tertio, a Rege Boem̄, qui inter Electores laicos ex regie dignitatis fastigio iure & merito obtinet primaciam: Quarto, a Comite Palatin̄ Reni: Quinto, a Duce Saxonie: Sexto, a Marchione Brandemburgn̄. Horum omnium vota, premisso iam ordine, dictus Archiepiscopus Moguntin̄ perquiret. Quo facto dicti Principes sui consortes ipsum viceuersa requirent, vt & ipse intencionem suam exprimat, & ipsis aperiat votum suum. Preterea in celebracione Imperialis curie, Marchio Brandemburgen̄ aquam lauandis Imperatoris vel Regis Roman̄ manibus ministrabit: Primum vero potum Rex Boemie: quem tamen sub corona regali, iuxta priuilegiorum regni sui continenciam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare. Comes etiam Palatinus cibum afferre tenebitur: & Dux Saxonie marestallatus officium exercebit, vt solitum est fieri ab antiquo.

V] *De iure Comitis Palatin̄, & etiam Saxonie Ducis.*

QVotiens insuper, vt premittitur, sacrum vacare continget Imperium, illustris Comes Palatin̄ Reni, sacri Imperii archidapifer, ad manus futuri Regis Roman̄ in partibus Reni & Svveuie, & in iure Franconico, ratione Princi-

patus, seu Comitatus Palatin̄ priuilegio, esse debet prouisor ipsius Imperii cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica presentandi, recolligendi redditus & prouentus, & inuestiendi de feudis, iuraměta fidelitatis vice & nomine sacri Imperii recipiendi: que tamen per Regem Roman̄ postea electum, suo tempore omnia innouari & de nouo sibi iuramenta ipsa prestari debebunt: feudis Principum dumtaxat exceptis, & illis que *vanleben* vulgariter appellantur; quorum inuestituram & collacionem soli Imperatori vel Regi Roman̄ specialiter reseruamus. Ipse tamen Comes Palatin̄ omne genus alienacionis seu obligacionis rerum Imperialium huiusmodi prouisionis tempore expresse sibi nouerit interdictum.

Et eodem iure prouisionis illustrem Ducem Saxonie sacri Imperii Archimarescallum frui volumus in illis locis vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & condicionibus sicut superius est expressum.

Et quamuis Imperator siue Rex Roman̄ super causis pro quibus impeditus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatin̄ Rheni, sacri Imperii Archidapifero, Electore Principe, respondere: illud tamen iudicium Comes ipse Palatinus non alibi preterquam in Imperiali Curia, vbi Imperator seu Roman̄ Rex presens extiterit, poterit exercere.

VI] *De comparacione Principum Electorum ad alios Principes communes.*

DEcernimus vt in celebratione Imperialis Curie, quotienscunque illam deinceps celebrari contigerit, antedicti Principes Electores ecclesiastici & seculares, iuxta prescriptum ordinem atque modum, a dextris & a sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisque vel eorum alicui in quibuscunque actibus ad Curiam ipsam spectantibus eundo, sedendo, vel stando, nullus Princeps alius, cuiuscunque status, dignitatis, preminencie vel condicionis existat, vllatenus preferatur: Eo signanter expresso, quod nominatim Rex Boemie in celebracione curiarum huiusmodi, in omnibus

& sin-

& singulis actibus antedictis, quemcumque regem alium, quacunq; etiam singulari dignitatis prerogatiua fulgentem, quem quouis casu seu causa venire vel adesse forte contigerit, immutabiliter antecedat.

VII] *De successione Principum.*

INter solicitudines illas innumeras, quibus pro felici statu sacri Imperii, cui auctore Domino feliciter presidemus, cor nostrum cottidie fatigatur, ad hoc precipue meditacio nostra dirigitur, qualiter desiderata & salubris semper vnio inter sacri Imperii Principes Electores iugiter vigeat, & corda eorum in sincere caritatis concordia conseruentur: quorum prouidentia suo tempore orbi fluctuanti tanto celerius, tantoque facilius subuenitur, quanto inter eos nullus error surrepserit & purior fuerit caritas custodita, obscuritate succisa, & iure cuiuslibet dilucide declarato. Sañ, generaliter longe lateque est publicum & quasi per totum orbem notorie manifestum, Illustres Regem Boemie, nec non Comitem Palatinum Reni, Ducem Saxonie, & Marchionem Brandemburgeñ, virtute regni & principatuum suorum, in electioñ Regis Romañ in Cesarem promouendi cum ceteris Principibus Ecclesiasticis suis coelectoribus, ius, vocem, & locum habere, & vna cum ipsis censeri & esse veros & legittimos sacri Imperii Principes Electores, ne inter eorundem Principum secularium Electorum filios super iure, voce, & potestate prefata, futuris temporibus, scandalorum & dissensionum possit materia suscitari, & sic bonum commune periculosis dilacionibus impediri. futuris auctore Deo cupientes periculis salubriter obuiare, statuimus & Imperiali auctoritate presenti lege perpetuis temporibus valitura decernimus, vt postquam iidem Principes Electores seculares & eorũ quilibet esse desierit, ius, vox & potestas electionis huiusmodi ad filium suum primogenitum legittimum laicum: Illo vero non extante, ad eiusdem primogeniti primogenitum similiter laicum, libere & sine contradictione cuiuspiam, deuoluatur. Si vero primogenitus huiusmodi, absque heredibus legittimis, masculis legittimis laicis, ab hac luce

migraret, virtute presentis Imperialis edicti, ius, vox, & potestas electionis predicte, ad seniorem fratrem laicum per veram paternalem lineam descendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur. Et talis successio in primogenitis & heredibus Principum eorundem, in iure, voce & potestate premissis, perpetuis temporibus obseruetur: Ea tamen condicione & modo, vt si Principem Electorem, seu eius primogenitum, aut filium seniorem laicum, mori, & heredes masculos legittimos laicos defectum etatis pacientes, relinquere contingeret, tunc frater senior eiusdem primogeniti, tutor eorum & administrator existat, donec senior ex eis legittimam etatem attigerit: quam in Principe Electore decem & octo annos completes censeri volumus & statuimus perpetuo & haberi: quam dum exegerit, ius, vocem & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, tutor ipse sibi totaliter, cum officio teneatur protinus assignare.

Si vero aliquem ex huiusmodi Principatibus ipsorum ipsorum sacro vacare contingeret, tunc Imperator, seu Rex Romanus, qui pro tempore fuerit, de ipso prouidere debebit & poterit, tamquam de re ad se & Imperium legittime deuoluta: Saluis semper priuilegiis, iuribus & consuetudinibus regni nostri Boem̃ super electione Regis in casu vacationis per regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Boem̃, facienda iuxta continenciam eorundem priuilegiorum & obseruatam consuetudinem diuturnam a Diuis Romañ Imperatoribus siue Regibus obtentorum, quibus ex huiusmodi sancione Imperiali in nullo preiudicari volumus, ymmo ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem.

VIII] *De Regis Boemie & Regnicolarum eius Immunitate.*

CVm per Diuos Romañ Imperatores & Reges predecessores nostros, Illustribus Boemie Regibus progenitoribus & predecessoribus nostris, nec non regno Boem̃, eiusdemque regni corone olim concessum fuerit graciosius & indultum, sitque in regno eodem a tempore, cuius contrarii

trarii hodie non exiſtit memoria, conſuetudine laudabili inconuulſe ſeruata, diuturnitate temporum, & preſcripta moribus vtentium ſine contradictionis aut interruptionis obſtaculo introductum, quod nullus Princeps, Baro, nobilis, miles, cliens, burgenſis, ciuis, nulla denique perſona eiusdem regni & pertinenciarum eius, vbicunque conſiſtentium, cuiuscunq; ſtatus, dignitatis, preminencie vel condicionis exiſtat, ad cuiuscumq; actoris inſtanciam extra regnum ipſum, ad quodcumque tribunal ſeu alterius preterquam regis Boemie, & iudicum regalis curie ſue iudicium citari potuerit ſiue trahi nec vocari debeat perpetuis inantea temporibus ſiue poſſit: Ideoque priuilegium, conſuetudinem & indultum huiusmodi, auctoritate Imperiali & de Imperialis poteſtatis plenitudine ex certa ſcientia innouantes & etiam confirmãtes hac preſenti noſtra conſtitutione Imperiali perpetuis temporibus valitura, ſtatuimus, vt ſi contra priuilegium, conſuetudinem & indultum prefatum, quispiam predictorum, puta Princeps, Baro, nobilis, miles, cliens, ciuis, burgenſis, ſeu ruſticus, aut alia quecunque perſona premiſſa, ad cuiuscumque tribunal extra regnum predictum Boemie, in quacunq; cauſa criminali, ciuili, vel mixta, ſeu ſuper quocunque negocio citatus fuerit, quocunque tempore vel citata comparere, vel in iudicio reſpondere minime teneatur. Quod ſi aduerſus huiusmodi non comparentes, vel non comparentem, a quocunque Iudice, cuiuscunque auctoritatis exiſtat, extra regnum ipſum Boemie conſtituto, iudicialiter procedi, proceſſus fieri, ſeu ſententias interlocutorias vel diffinitiuas, vnã vel plures, in quibuscunque prenominatis cauſis ſiue negociis, quouis modo fieri & promulgari continget, auctoritate premiſſa, de plenitudine inſuper antedicte Imperatorie poteſtatis, citationes, precepta, proceſſus, & ſententias huiusmodi, nec non executiones, & omnia que ex eis vel aliquo eorum quomodolibet ſequi, attemptari poſſent vel fieri, irritamus penitus & caſſamus: Adicientes expreſſe, & edicto Imperiali perpetuo valituro, eadem auctoritate & de premiſſe poteſtatis plenitudine decernentes, vt quemadmodum in predicto regno Boemie, a tempore cuius contrarii non ha-

betur memoria, iugiter obseruatum existit, Ita nulli prorsus Principi, Baroni, Nobili, militi, clienti, ciui, burgensi seu rustico, nulli demum persone seu incole regni Boemie sepedicti, cuiuscunque status, preeminencie, dignitatis vel condicionis existant vel existat, a quibuscunque processibus, sentenciis interlocutoriis vel diffinitiuis, siue preceptis regis Boem̄, aut quorumcumque suorum iudicum, nec non executionibus eorundem contra se in regali iudicio seu coram Regis regni seu predictorum Iudicum tribunalibus, factis aut latis, habitis vel ferendis inantea seu fiendis, ad quodcumque aliud iudicium appellare: prouocaciones quoq; seu appellaciones huiusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant, & appellantes ipsi penam perdicionis causarum ipso facto se nouerint incurrisse.

ix] *De auri, argenti, & aliarum specierum mineris.*

PResenti constitucione imperpetuum valitura statuimus, ac de certa scientia declaramus, quod successores nostri Boemie Reges, nec non vniuersi & singuli Principes Electores, ecclesiastici & seculares, qui perpetuo fuerint, vniuersas auri & argenti fodinas atque mineras, stanni, cupri, ferri, plumbi, & alterius cuiuscumque generis metalli, ac eciam salis, tam inuentas quam inueniendas imposterum quibuscumque temporibus, in regno predicto, ac terris & pertinenciis eidem regno subiectis: nec non supradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis ac pertinenciis suis tenere iuste possint & legittime possidere, cum omnibus iuribus, nullo prorsus excepto, prout possunt seu consueuerunt talia possideri: Nec non Iudeos habere, theolonea in preterito statuta & indicta percipere: Qđq; progenitores nostri Reges Boemie felicis memorie, ipsique Principes Electores ac progenitores & predecessores eorum, legittime potuerint vsq; in presens, sicut hoc antiqua laudabili & approbata consuetudine diuturniq; ac longissimi temporis cursu prescripta noscitur obseruatum.

x] De

x] *De monetis.*

STatuimus preterea vt Regi Boemie successori nostro, qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo Illustris memorie Boem̃ Regibus nostris predecessoribus licuisse, & in possessione pacifica continua ipsos fuisse iuris subsequentis, videlicet monetas auri & argenti in omni loco & parte Regni sui, & subditarum ei terrarum & pertinentiarum omnium, vbi rex ipse decreuerit sibique placuerit, cudi facere & mandare sub omni modo & forma in regno ipso Boem̃, in hiis ad hec vsque tempora obseruatis. Quodque futuris perpetuo Boem̃ regibus hac nostra Imperiali constitucione & gracia perpetuo valituris, a quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comitibus, & personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones, predia siue bona, liceat emere, comparare, seu in donum vel donacionem ex quacunque causa, aut in obligacionem recipere, sub talium terrarum, castrorum, possessionum, prediorum seu bonorum condicione consueta, vt videlicet propria recipiantur, vel comparentur vt propria, libera velut libera, & ea que dependent in feudum, similiter emantur in feudum, seu comparata taliter teneantur: Ita tamen quod ipsi Reges Boemie de hiis que hoc modo comparauerint vel receperint, & regno Boem̃ duxerint applicanda, ad pristina ac consueta Iura de talibus sacro explenda & reddenda Imperio sint adstricti. Presentem nichilominus constitucionem & graciam, virtute presentis legis nostre Imperialis ad vniuersos Principes Electores tam ecclesiasticos quam seculares, successores & legittimos heredes ipsorum plene extendi volumus, sub omnibus [modis] & condicionibus vt prefertur.

x1] *De Immunitate Principum Electorum.*

STatuimus etiam vt nulli Comites, Barones, nobiles, feudales, vasalli, Castreñ milites, Clientes, Ciues, Burgenses, nulle quoque persone Colonień, Moguntineñ & Treuereñ ecclesiis subiecti vel subiecte, cuiuscumque status, condicionis vel dignitatis existant, ad cuiuscumq; actoris instantiam, extra territorium & terminos ac limites earundem Ecclesia-

rum & pertinentiarum suarum, ad quodcunque aliud tribunal, seu cuiusvis alterius, preterquam Archiepiscoporum Moguntiñ, Treuereñ & Colonieñ & Iudicum suorum iudicium, citari potuerint temporibus retroactis, vel trahi seu vocari debeant perpetuis inantea temporibus siue possint, sicut preteritis inuenimus temporibus obseruatum. Quod si contra presens edictum nostrum predictos Ecclesiarum Treuereñ, Moguntineñ seu Colonieñ subditos, vel eorum aliquem seu aliquos, ad cuiuscumque instanciam, seu ad cuiuscumque tribunal, pro quacumque causa criminali, ciuili vel mixta, seu quocumque negocio, extra territorium, limites seu terminos dictarum Ecclesiarum, vel alicuius earum, citari contingeret, comparere vel respondere minime teneantur: & citacio ac processus & sententie interlocutorie vel diffinitiue contra non venientes a talibus iudicibus extraneis late vel facte, fiende vel ferende, nec non precepta & premissorum executiones, & omnia que ex eis vel aliquo eorum, quomodolibet sequi attemptari possent vel fieri, irrita decernimus eo ipso: Adicientes expresse, quod nulli Comiti, Baroni, nobili feudali, vasallo, castrensi militi, clienti, ciui, rustico, nulli demum persone Ecclesiis huiusmodi subiecte, seu eius incole, cuiuscumque status, dignitatis vel condicionis existant, a processibus, sententiis interlocutoriis & diffinitiuis, siue preceptis Archiepõrum & Ecclesiarum huiusmodi, vel suorũ officiatorum temporalium, aut execucionibus eorundẽ contra se in Archiepãli, seu officiatorum predictorum iudicio factis aut latis, habitis, vel ferendis in antea seu fiendis, ad quodcumque tribunal aliud liceat appellare, quamdiu in Archiepiscoporum predictorum & suorum iudicio querulantibus non fuerit iusticia denegata, appellaciones contra hoc factas non recipi statuimus, cassasque & irritas nunciamus. In defectum vero iusticie, predictis omnibus ad Imperialem dumtaxat curiam & tribunal, seu Iudicis immediate in Imperiali Curia pro tempore presidentis audienciam: Et etiam eo casu, non ad quemuis alium Iudicem, siue ordinarium siue etiam delegatum, hiis quibus denegata fuerit iusticia, liceat appellare. Quicquid vero contra premissa factum fuerit, sit irritum eo ipso. Eandem

Eandem constitucionem virtute presentis legis nostre Imperialis, ad Illustres Comitem Palatinum Reni, Ducem Saxonie, & Marchionem Brandemburgeñ Principes Electores seculares, siue laicos, heredes, successores & subditos eorum, plene extendi volumus, sub omnibus modis & condicionibus vt prefertur.

XII] *De congregatione Principum.*

INter illas multiplices reipublice curas, quibus assiduè mens nostra distrahitur, multa consideracione necessarium fore prospexit nostra sublimitas, vt sacri Imperii Principes Electores, ad tractandum de ipsius Imperii orbisquè salute, frequentius solito congregentur: qui solide bases Imperii, & columpne immobiles, quemadmodum per longinquas adinuicem terrarum consistunt distancias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul & conferre nouerunt, sanisque prouidencie sue consiliis non ignorant accommodis talium reformacionibus salubriter opem dare. Hinc est quod in solempni curia nostra in Nuremberg cum venerabilibus ecclesiasticis & illustribus secularibus Principibus Electoribus, & multis aliis Principibus & proceribus per nostram celsitudinem celebrata, habita cum eisdem Principibus Electoribus deliberacione, & de ipsorum consilio, pro bono & salute communi, cum dictis Principibus Electoribus, tam ecclesiasticis quam secularibus, duximus ordinandum quod iidem Principes Electores de cetero per singulos annos semel, transactis a festo Pasche resurrectionis Dominice quatuor septimanis continue numerandis, in aliqua ciuitatum sacri Imperii personaliter congregentur, & ad idem tempus proxime affuturum, seu anno presenti, colloquium seu curia, & congregatio huiusmodi, in ciuitate nostra Imperiali Meteñ, per nos & eosdem Principes celebretur: ac tunc & deinceps die quòlibet congregacionis huiusmodi locus per nos, quo frequenti anno conueniant, ipsorum consilio statuatur: Hac nostra ordinacione ad nostrum & ipsorum dumtaxat beneplacitum duratura. Qua durante, ipsos sub nostro Imperiali conductu reci-

pimus ad dictam curiam accedendo, stando, & etiam recedendo. Preterea ne tractatus communis salutis & pacis per tractum & moram solacii seu excessiuam frequentacionem conuiuii retardetur, vt aliquando fieri est consuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, vt deinceps curia seu congregatione prefata durante, generales omnium Principum celebrare alicui non liceat inuitatas: particulares vero, que agendorum expedicionem non impediant, cum moderamine sint permisse.

XIII] *De reuocatione priuilegiorum.*

PReterea statuimus & hoc Imperiali perpetuo sancimus edicto, quod vniuersa priuilegia & littere, quibuscumq; personis, cuiuscumque status, preminencie vel dignitatis existant, seu ciuitatum, opidorum & quorumlibet locorum vniuersitatibus, super quibuscumque iuribus, graciis, emunitatibus, consuetudinibus, seu rebus aliis, etiam proprio motu, seu a nobis vel recolende memorie Diuis Roman Imperatoribus siue Regibus predecessoribus nostris, sub quibuscunq; verborum tenoribus concessa & concesse, seu a nobis vel successoribus nostris Roman Imperatoribus & Regibus inantea concedenda seu concedende, non debeant aut possint libertatibus, iurisdicionibus, iuribus, honoribus seu dominiis Principum Electorum sacri Imperii ecclesiasticorum & secularium, aut alicuius ipsorum, in aliquo penitus derogare, etiam si in talibus priuilegiis & litteris quarumlibet personarum cuiuscumque preminencie, dignitatis aut status extiterint, vt prefertur, seu vniuersitatum huiusmodi, expresse cautum sit vel fuerit in futurum quod reuocabilia seu reuocabiles esse non debeant, nisi de ipsis & toto in eis comprehenso tenore in tali reuocacione fieret de verbo ad verbum seriatim mencio specialis. Huiusmodi namque priuilegia & litteras, si & in quantum libertatibus, iurisdicionibus, iuribus, honoribus seu dominiis dictorum Principum Electorum, aut alicuius ipsorum, derogare censentur in aliquo, quo reuocamus ex certa sciencia & cassamus, reuocataque & reuocatas intelligi & haberi decernimus de plenitudine Imperatorie potestatis.

XIIII] *De*

XIIII] *De hiis quibus vt indignis auferuntur bona feudalia.*

IN plerisq; partibus vasalli & feudatarii, dominorum feuda seu beneficia que a dominis ipsis obtinent, intempestiue verbaliter & in fraude renunciant seu resignant eadem: & facta resignacione huiusmodi, dominos ipsos maliciose diffidant, suasq; inimicicias eis denunciant, dampna eis subsequenter grauia inferendo: & beneficia seu feuda sic relicta, pretextu gverre seu inimicicie, iterum inuadunt & occupant, & detinent occupata. Eapropter presenti constitucione imperpetuum valitura sanccimus, quod talis resignacio seu renunciacio haberi debeat pro non facta, nisi libere & realiter facta fuerit per eosdem, ita quod possessio beneficiorum & feudorum huiusmodi dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur, In tantum quod nullo vnquam tempore, diffidantes ipsi in bonis feudis seu beneficiis resignatis, dominos ipsos perturbent per se vel alios, aut molestent, nec ad hoc consilium prestent auxilium vel fauorem. Contrarium facientes, seu dominos suos in beneficiis & feudis resignatis vel non resignatis inuadens quomodolibet vel perturbans, vel dampna in ipsis inferens, seu consilium auxilium prestans talia facientibus vel fauorem, feuda & beneficia huiusmodi eo ipso ammittat, infamis existat, & banno Imperiali subiacear, & nullus ad feuda vel beneficia huiusmodi pateat ei de cetero quocunque tempore aditus vel regressus, nec de nouo sibi concedi valeant vllo modo: & facta eis contra hoc illorum concessio seu inuestitura secuta, iuribus non subsistat. Postremo omnes penas predictas illos vel illum qui predicta resignacione non facta contra dominos suos fraudulenter agentes vel agens, scienter eos inuaserint vel inuaserit, diffidacione quacumque preuia vel obmissa, vigore presentis sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

XV] *De conspiratoribus.*

DEtestandas preterea, & sacris legibus reprobatas conspiraciones, & conuenticulas, seu colligaciones illicitas, in ciuitatibus & extra, vel inter ciuitatem & ciuitatem,

inter personam & personam, siue inter personam & ciuitatem pretextu parentele, seu receptiones in ciues, vel alterius cuiuscumque coloris commutaciones: insuper & confederaciones & pacta, nec non & consuetudinem circa huiusmodi introductam, quam censemus pocius corruptelam, reprobamus, dampnamus, & ex certa scientia irritamus: quas ciuitates seu persone cuiuscumque dignitatis seu condicionis, aut status, siue inter se, siue cum aliis absque auctoritate dominorum quorum subditi vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eisdem dominis nominatim non exceptis fecerunt hactenus & facere presumpserint in futuro, sicut eas per sacras diuorum Augustorum predecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur & cassatas: Illis confederacionibus & legis dumtaxat exceptis, quas Principes & Ciuitates ac alii super generali pace prouinciarum atq; terrarum inter se firmasse noscuntur. Illas enim nostre declaracioni specialiter reseruantes, in suo decernimus vigore manere donec de hiis aliud duxerimus ordinandũ. Personam singularem que de cetero contra tenorem presentis constitucionis nostre legis antique super hoc edite, confederaciones, colligaciones, conspiraciones & pacta huiusmodi inire presumpserit, vltra penam legis eiusdem, notam infamie & penam decem librarum auri: Ciuitatem vero, vel vniuersitatem in hanc legem nostram similiter committentem, centum librarum auri, nec non ammissionis & priuacionis libertatum & priuilegiorũ Imperialium, penas incurrere decernimus eo ipso, medietate pene huiusmodi pecuniarie, fisco Imperiali; reliqua vero domino districtus, in cuius preiudicium facte fuerint, applicanda.

XVI] *De pfalburgeriis.*

CEterum quia nonulli ciues & subditi Principum, Baronum, & aliorum hominum, sicuti frequens ad nos querela perduxit, iugum originarie subiectionis querentes abicere, ymmo ausu temerario contempnenter in aliarum ciuitatum ciues recipi se procurant & frequencius in preterito procurarunt, & nihilominus in priorum dominorũ, quos tali

fraude

fraude presumpserunt vel presumunt deserere, terris, ciuitatibus, opidis & villis corporaliter residentes, ciuitatum ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere & ab eis defensari contendunt, qui in partibus Alamanie, PFALBVRGERII consueuerunt vulgariter appellari: Quoniam igitur patrocinari non debent alicui fraus & dolus, de Imperatorie potestatis plenitudine, omnium Principum Electorum ecclesiasticorum & secularium sano accedente consilio, ex certa scientia statuimus, & presenti lege perpetuo valitura, sancimus, quod predicti ciues & subditi, eis quibus subsunt, taliter illudentes, in omnibus terris, locis, & prouinciis sacri Imperii, a presenti die imposterum, ciuitatum in quarum ciues tali fraude recipi se procurant, vel hactenus procurarunt, iuribus & libertatibus in nullo pociantur, nisi ad huiusmodi ciuitates corporaliter & realiter transeuntes, ibique larem fouentes, continue & vere ac non ficte residenciam facientes, debita onera & municipalia subeant munera in eisdem. Si qui vero contra presentis nostre legis tenorem recepti sunt vel fuerint in futurum, illorum recepcio omni careat firmitate, & recepti, cuiuscumque condicionis, dignitatis aut status existant, in nullo casu penitus siue causa, ciuitatum ad quas recipi se procurant, iuribus vel libertatibus gaudeant quomodolibet vel fruantur: Non obstantibus quibuscunq; iuribus, priuilegiis vel consuetudinibus obseruatis quantocunque tempore & obtentis: Quas & que, in quantum presenti nostre legi obuiant, presentibus ex certa sciencia reuocamus de predicte Imperialis plenitudine potestatis. omniq; carere decernimus robore firmitatis: Circa premissa omnia Principum, dominorum & aliorum hominum quos taliter deseri contigit vel continget imposterum, iuribus circa personas & bona subditorum quorumcumque, ipsos sepedicto modo deserencium, semper saluis. Hos nichilominus qui sepedictos ciues & subditos alienos recipere, contra presentis nostre legis dispositionem presumpserint, vel recipere in preterito presumpserunt, si eos omnino non dimiserint infra mensem post intimacionem presentium eis factam, centum marcas auri puri pro transgressione huiusmodi, tociens

quociens deinceps factum fuerit, incurrere decernentes quarum medietas Imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum qui recepti fuerint, irremissibiliter applicetur.

XVII] *De diffidacionibus.*

EOs qui de cetero aduersus aliquos iustam diffidacionis causam se habere fingentes, ipsos in locis vbi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestiue diffidant, declaramus dampna quecumque per incendia, spolia vel rapinas diffidatis ipsis, cum honore suo inferre non posse. Et quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, presenti constitutione imperpetuum valitura sancimus, diffidantes huiusmodi quibuscumque dominis aut personis cum quibus aliqui fuerunt in societate, familiaritate, vel honesta quauis amicitia conuersati, sic factas vel fiendas imposterum, non valere, nec licere pretextu diffidacionis cuiuslibet quempiam inuadi per incendia, spolia, vel rapinas: nisi diffidacio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco quo habitare consueuit, publice fuerit intimata, possitque de intimacione huiusmodi per testes ydoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare vel inuadere modo premisso presumpserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidacio facta esset: Quem etiam tanquã proditorem per quoscumque Iudices penis legalibus statuimus castigari.

Prohibemus eciam & dampnamus vniuersas & singulas gvverras & lites iniustas: cuncta quoq; iniusta incendia, spolia & rapinas, indebita & inconsueta thelonea & conductus & exacciones pro ipsis conductibus extorqueri consuetas, sub penis quibus sacre leges premissa & eorum quodlibet sanciunt punienda.

XVIII] *Littera intimacionis.*

VObis · · Illustri & Magnifico Principi Dño ·· Marchioni Brandemburgñ. sacri Imperii Archicamerario, coelectori & amico nostro carissimo. Electioñ Romañ Regis, que ex racionabilibus causis imminet facienda, presentibus inti-

intimamus: vosque ex officii nostri debito ad electionem prefatam, rite vocamus: Qtn̄s a die tali, &c. infra tres menses continuo computandos, per vos, seu nuncios aut procuratores vestros, vnum vel plures, sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum, iuxta formam sacrarum legum super hoc editarum, venire curetis, deliberaturi, tractaturi, & concordaturi cum aliis comprincipibus & coelectoribus vestris & nostris, de electione futuri Regis Roman̄ in Imperatorem postmodum fauente Domino promouendi, in eodem mansuri vsque ad plenam confirmacionem electionis huiusmodi, & al̄ facturi & processuri prout in sacris legibus super hoc deliberate editis inuenitur expressum: al̄ non obstan̄ vestra seu vestrorum absencia, in premissis vna cum aliis comprincipibus & coelectoribus vestris, prout legum ipsarum sanciuit auctoritas, finaliter procedemus.

XIX] *Forma procuratorii, mittendi per eum Principem Electorem qui nuncios suos ad electionem faciendam duxerit destinandos.*

NOs . . talis Dei gratia, &c. Sacri Imperii, &c. Notum facimus tenore presentium vniuersis, Quod cum electio Roman̄ Regis ex racionabilibus causis imminet facienda, nos de honore & statu sacri Imperii solicitudine debita intendere cupientes ne tam grauibus dispēdiis periculose subiaceat, de fide & circumspectionis industria dilectorum nobis & fidelium nostrorum obtinentes vtiq; presumptionis indubie fiduciam singularem, ipos & quemliber eorum insolidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod p̄ vnum inceptum fuerit, per alium finiri valeat & licite terminari, omni iure, modo, & forma, quibus melius & efficacius possumus seu valemus, nostros veros & legittimos procuratores & nuncios speciales, facimus, constituimus & ordinamus ad tractand̄ vbilibet vna cum aliis comprincipib⁹ & coelectorib⁹ nostris, tam ecclesiastis quā secularib⁹, & cū ipsis concordand̄ & cōcludend̄ de persona quacunq; habili & ydonea in Regē Roman̄ eligenda, & ipsis tractatib⁹ super electione talis persone habendis ꝓ nobis loco & nomine nr̄is, interessend̄,

tractandum & deliberandum, nec non vice & nomine nostris eandem personam nominandum, & in ipsam consenciendum, ac eciam in regem Romañ promouendum, ad sacrum Imperium eligendum, ac in animam nostram prestand quodcunque Iuramentum necessarium, debitum & consuetum fuerit circa premissa & quodlibet premissorum, alium vel alios procuratores in solidum substituendum & reuocandum, & omnia & singula faciendum que in premissis & circa premissa, etiam vsque ad consummacionem tractatuum, nominacionis, deliberacionis & eleccionis huiusmodi de presenti faciende necessaria aut vtilia fuerint, seu etiam quomodolibet oportuna, eciamsi premissa vel eorum quodlibet, mandatum exigant speciale, eciam si maiora vel magis singularia fuerint supradictis, & que nosmetipsi facere possemus, si huiusmodi tractatuum, deliberacionis, nominacionis & eleccionis future negociis presentes & personaliter adessemus: Gratum & ratum habentes & habere volentes, & nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos procuratores seu nuncios nostros, nec non substitutos aut substituendos, ab ipsis seu eorum altero, in premissis seu premissorum quolibet, actum, gestum, seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

xx] *De vnione Principatuum Electorum, & iurium eis connexorum.*

CVm vniuersi & singuli Principatus quorum virtute seculares Principes Electores ius & vocem in electione Romañ Regis in Cesarem promouendi, obtinere noscuntur, cum iure huiusmodi, nec non officiis, dignitatibus & iuribus aliis, eis & cuilibet eorum annexis & dependentibus ab eisdem, adeo coniuncti & inseperabiliter sint initi, quod ius, vox, officium & dignitas, alia quoque iura ad quemlibet Principatuum eorundem spectantia cadere non possint in alium preter illum qui Principatum ipsum cum terra, vasallagiis, feudis & dominio, ac eius pertinentiis vniuersis dinoscitur possidere, presenti edicto Imperiali perpetuo valituro sancimus, vnumquemq; Principatuum predictorum, cum

iure & voce electionis ac officio, ceterisque omnibus dignitatibus, iuribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus, ita perseuerare & esse debere vnitum perpetuis temporibus indiuisibiliter & coniunctum, quod possessor Principatus cuiuslibet, eciam iuris, vocis, officii, dignitatis & pertinenciarum omnium ad illum spectancium, quieta debeat & libera possessione gaudere, ac Princeps Elector ab omnibus reputari, ipseque, & nemo alius, per ceteros Principes Electores ad eleccionem & omnes actus alios pro sacri Imperii honore vel oportunitate gerendos, omni tempore assumi sine cõtradiccõe qualibet, & admitti, nec aliquid premissorum ab altero, cum sint & esse debeant insepabilia, diuidi vel vllo tempore debeat separi, aut in iudicio vel extra, diuisim repeti valeat, aut euinci, vel eciam per sentenciam separi, nec aliquis vnum sine alio impetens audiatur. Quod si per errorem vel al¯ auditus quis fuerit, aut processus, iudicium, sentencia, vel aliquid huiusce modi contra presentem dispositionem nostram emanauerit, seu quomodolibet attemptari contigerit, hoc totum, & omnia ex hiis & quolibet eorum sequencia, eo ipso Iuribus non subsistant.

XXI] *De ordine processionis inter Archiepiscopos.*

QVoniam autem superius in principio constitutioñ nostrarum presentium circa ordinem Ecclesiasticorum Principum Electorum in consilio & in mensa, & alias quociens Imperialem Curiam celebrari, seu Principes Electores deinceps cum Imperatore vel Rege Romañ congregari cõtigerit, sufficienter duximus prouidendum, super qua priscis audiuimus temporibus pluries disceptatum: Expedire credimus etiam processionis & deambulacionis inter eos ordinem diffinire. Quapropter hoc perpetuo Imperiali edicto decernimus, vt quocienscunque in congregatione Imperatoris vel Regis Romañ & Principum predictorum, Imperatore vel Rege ipso deambulante, insignia ante faciem suam portari contigerit, Archiepiscopus Treuereñ in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent quos Imperialia vel Regalia

continget insignia deportare. Dum autem Imperator vel Rex absq; insigniis eisdem incesserit, extunc idem Archieps Imperatorem vel Regem prefato modo precedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur: Aliis duobus Archiepiscopis Electoribus, loca sua, iuxta distinctionem prouinciarum suarum circa sessionem superius declaratā, eciam circa processionem perpetuo seruaturis.

XXII] *De ordine processionis Principum Electorum, & per quos insignia deportentur.*

AD declarandum autem in Imperatoris vel Regis Romañ deambulantis pñcia processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mencionem: Statuimus vt quotienscunque in celebracione Imperialis Curie, Principes Electores cum Imperatore vel Rege Romañ in quibuscumque actibus vel solempnitatibus processionaliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxonie Imperialem seu Regalem ensem deferens, Imperatorem seu Regem immediate precedat, & inter illum & Archiepiscopum Treuereñ medius habeatur: Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, a latere dextro: & Marchio Brandemburgñ sceptrum deferens a sinistro latere ipsius Ducis Saxonie lineariter gradiantur: Rex autem Boem̄ Imperatorem seu Regem ipsum immediate, nullo interueniente, sequatur.

XXIII] *De benedictionibus Archiepiscoporum in presentia Imperatoris.*

QVociens insuper in Imperatoris vel Regis Romañ presencia missarum solempnia celebrari, ac Moguntineñ Treuereñ & Coloñ Archiepiscopos, vel duos ex eis, adesse contigerit, in confessione que ante missam dici consueuit, ac in porrectione Evvangelii osculandi & Pace post Agnus Dei portanda, nec non & in benediccionibus post finita missarum solempnia, ac eciam ante mensam faciendis, & in graciis post cibum acceptum agendis: Is inter eos ordo seruetur, prout de ipsorum consilio duximus ordinandum; quod

prima

prima die hec omnia & singula a primo, secunda die a secundo, tercia vero a tercio peragantur. Primum autem vel secundum seu tercium hoc casu, secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit, debere intelligi declaramus. Et vt se inuicem honore condigno & decenti preueniant, & exemplum aliis prebeant inuicem honorandi, is quem circa premissa ordo tetigerit, ad hec alterum conniuencia & caritatiua inclinacione inuitet, & tunc demum ad premissa procedat, seu quodlibet premissorum.

SI quis cum Principibus, Militibus, vel priuatis, seu quibuscumque personis plebeis eciam scelestam faccionem, aut faccionis ipsius inierit sacramentum vel dederit de nece venerabilium & illustrium nostrorum & sacri Romaň Imperii tam ecclesiasticorum quam secularium Principum Electorum, seu alterius eorundem: Nam & ipsi pars corporis nostri sunt: Eadem enim seueritate voluntatem sceleris qua effectum puniri Iura voluerunt: Ipse quidem, vtpote maiestatis reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis: filii vero eius, quibus vitam Imperiali specialiter lenitate concedimus: paterno enim deberent perire suplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarii criminis metuuntur exempla: a materna vel avita omnium eciam proximorum hereditate & successione habeantur alieni: Testamentis aliorum nichil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum vnquam honorem, nulla prorsus sacramenta perueniant: sint postremo tales, vt hiis perpetua egestate sordentibus sit & mors solacium, & vita suplicium. Denique iubemus eos esse notabiles sine venia, qui pro talibus vnquam aput nos interuenire tem-

ptauerint. Ad filias ſane ipſorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, ſiue teſtata ſiue inteſtata defecerit, volumus peruenire, vt habeant mediocrem pocius filie alimoniam quam integrum emolumentum aut nomen heredis aſſequantur. Micior enim circa eas debet eſſe ſentencia, quas pro infirmitate ſexus, minus auſuras eſſe confidimus. Emancipaciones quoq; que a predictis ſiue in filios poſt legem dumtaxat latam, ſiue in filias fuerit collata, non valeat. Dotes, donaciones quorumlibet, poſtremo item alienaciones, quas ex eo tempore, qualibet fraude vel iure factas eſſe conſtiterit quo primum memorati de ineunda ſanccione ac ſocietate cogitauerint, nullius ſtatuimus eſſe momenti. Vxores ſane predictorum recuperata dote ſi in ea cōdicione fuerint, vt que a viris titulo donacionis acceperunt, filiis debeant reſeruare, tempore quo vſufructus abſumitur: Omnia ea fiſco noſtro ſe relicturas eſſe cognoſcant que iuxta legem filiis debebantur: Falcidia etiam ex hiis rebus filiabus tantum, non eciam filiis deputetur.

Id quod de predictis eorumq; filiis quominus eciam de ſatelitibus conſciis ac miniſtris, filiisque eorum, ſimili ſeueritate cenſemus. Sane ſi quis ex hiis in exordio inite faccionis, ſtudio vere laudis accenſus, ipſe prodiderit faccionem, & premio a nobis & honore donabitur. Is vero qui vſus fuerit faccione, ſi vel ſero, tamen incognita adhuc conſiliorum archana patefecerit, abſolucione tamen ac venia dignus habebitur. Statuimus inſuper, vt ſi quid cōtra predictos Principes Electores eccleſiaſticos vel ſeculares cōmiſſum dicatur, eciam poſt mortē rei id crimen inſtaurari poſſe. In hoc item crimine qđ ad leſam in Principibus Electoribus ſuis maieſtatem pertinet, eciam in caput domini, ſerui torquentur.

Volumus inſuper & pn̄ti Imperiali ſanccimus edicto, vt eciam poſt mortem nocentium hoc crimen inchoari poſſit, & conuicto mortuo, memoria eius dampnetur, & bona eius ſucceſſoribus eius eripiantur. Nā ex quo ſceleratiſſimū quis ceperit conſilium, exinde quodammodo ſua mente punitus eſt. Porro ex quo quis tale crimen contraxit, neq; alienare neque manumittere eum poſſe, nec ei ſoluere iure debitorem

decer-

decernimus. In hac causa in caput dñi seruos torqueri statuimus, id est ꝓpter causam faccionis dampnande contra Principes Electores ecclesiasticos & seculares, vt premittitur. Et si decesserit quis propter incertam personam successoris bona seruentur, si in casu huiusmodi fuisse mortuus arguatur.

Si ceteros Principatus congruit in sua integritate seruari, vt corroboretur iusticia, & subiecti fideles pace gaudeant & quiete: multo magis magnifici Principatus, dominia, honores, & iura Electorum Principum debent illesa seruari. Nam vbi maius incumbit periculum, maius debet remedium adhiberi, ne columpnis ruentibus, basis totius edificii collidatur. Decernimus igitur & hoc perpetuis temporibus valituro sanccimus edicto, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus insignes & magnifici Principatus, videlicet regnum Boem̄, Comitatus Palatiñ Reni, Ducatus Saxonie, & Marchionatus Brandemburgñ, terre districtus, homagia, vasallagia, & alia queuis ad ipsa spectancia, scindi, diuidi, seu quauis condicione dimembrari non debeant, sed in sua perfecta integritate perpetua maneant. Primogenitus. Primogenitus filius succedat in eis, sibique soli ius & dominium competat: nisi forsitan mente captus, fatuus, seu alterius famosi & notabilis defectus existant, propter quem non deberet, seu posset hominibus principari. In quo casu, inhibita sibi successione, secundogenitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, vel consang̃ laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successurum: qui tamen apud alios fratres & sorores se clementem & pium exhibebit continuo, iuxta datam sibi a Deo graciam & iuxta suum beneplacitum & ipsius patrimonii facultates: diuisione, scissione, seu dimembracione Principatus & pertinenciarum eius sibi modis omnibus interdicta.

Die qua solempnis Curia Imperialis vel Regia fuerit celebranda, venient circa horā primam Principes Electores ecclesiastici & seculares ad domum habitacionis Imperial' siue regalis: & ibi Imperator vel Rex omnibus insigniis Imperialibus inductur: & ascensis equis omnes vadāt cum Imperatore vel Rege ad locum sessionis aptate, & illic quilibet eorum

in ordine & modo supra in lege de ordine processionis ipsorum Principum Electorum plenius diffinito. Portabit eciam Archicancellarius, in cuius Archicancellariatu hec sunt, super baculo argẽteo omnia sigilla & typaria Imperialia siue Regalia. Seculares vero Principes Electores sceptrum, pomum, & ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt. Portabuntur eciam immediate ante Archiepiscopũ Treuereñ suo loco transeuntem, primo Aquisgrañ, secundo Mediolañ corona, & hoc ante Imperatorem dumtaxat qui iam est Imperialibus infulis decoratus: quas gestabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem iuxta placitum deputandi. Imperatrix eciam vel Regina Romañ suis augustalibus amicta insigniis, post Regem vel Imperatorem Romanorum & eciam post regem Boem̃, qui Imperatorem immediate subsequitur, competentis spacii interuallo suis associata proceribus, suisque comitata virginibus, ad locum sessionis procedat.

XXV] *De officiis Principum Electorum in solempnibus Curiis Imperatorum vel Regum Romanorum.*

STatuimus vt quandocumque Imperator vel Rex Romañ solempnes curias suas celebrauerit, in quibus Principes Electores sua deseruire seu exercere debent officia, subscriptus in hiis ordo seruetur. Primo enim Imperatore vel Rege ipso in sede regia siue solio Imperiali sedente, Dux Saxonie agat officium suum hoc modo. Ponetur enim ante edificium sessionis Imperialis vel Regie aceruus auene, tante altitudinis quod pertingat vsque ad pectus vel antelam equi: super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, que simul faciant in pondere duodecim marcas argenti: & sedens super equo, primo mensuram eandem de auena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem. Quo facto, figendo baculum in auenam, recedet, & vicemarescallus eius, puta de Papenheim, accedens: vel eo absente, Marescallus curie, vlterius auenam ipsam distribuet.

Ingresso vero Imperatore vel Rege ad mensam, Principes Ele-

Electores Ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, stantes ante mensam cum ceteris prelatis benedicent eandem, secundum ordinem qui circa hec eis in superioribus est prescriptus. Et benedictione completa, iidem Archiepiscopi omnes, si assunt; alioquin duo vel vnus, sigilla & typaria Imperialia siue Regalia a Cancellario Curie recipient: Eoque in cuius archicancellariatu curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente, & aliis duobus ex alterutro latere sibi iunctis, sigilla & typaria ipsa, oms quidem baculum in quo suspensa fuerint manibus contingentes, ea portabunt & ante Imperatorem vel Regem reuerenter ponent in mensa. Imperator vero siue Rex, eadem ipsis statim restituet: & in cuius archicancellariatu hoc fuerit, vt prefertur, is maius sigillum collo appensum vsque ad finem mense gestabit, & deinceps donec ad hospicium suum perueniat ab Imperiali siue Regali curia equitando. Baculus vero de quo premittitur, esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cuius tam argenti quam precii partem terciam vnusquisque Archiepiscoporum ipsorum persoluet, & baculus ipse protinus vna cum sigillis & typariis debet cancellario Imperialis Curie assignari, in vsus suos beneplacitos conuertendus.

Postquam autem is quem ordo tetigerit portando sigillum maius ab Imperiali Curia ad hospicium suum redierit vt prefertur, statim sigillum ipsum per aliquem de suis familiaribus predicto Imperialis Curie cancellario remittet super equo, quem iuxta proprie dignitatis decenciam & amorem quem ad cancellarium Curie gesserit, ipsi Cancellario tenebitur elargiri.

Deinde Marchio Brandemburgensis Archicamerarius, accedat super equo habens argenteas pelues cum aqua in manibus, ponderis duodecim marcarum argenti, & pulchrũ manutergium: & descendens ab equo dabit aquam Dño Imperatori vel Regi Romañ manibus abluendis.

Comes Palatinus Reni intrabit similiter super equo, habens in manibus quattuor scutellas argenteas cibis impletas, quarum quelibet tres marcas habeat in statera: & descendens ab equo portabit, & ponet ante Imperatorem vel Regem in mensa.

Post hoc Rex Boem̄ Archipincerna veniat similiter super equo, portans in manibus cuppam seu ciffum argenteum, ponderis duodecim marcarum, coopertum, vino & aqua permixtum impletum: & descendens de equo, ciffum ipsum Imperatori vel Regi Roman̄ porriget ad bibendum.

Sicut autem hactenus obseruatum fuisse comperimus, ita statuimus vt peractis per Principes Electores seculares predictis eorum officiis, ille de Falkenstein subcamerarius, equum & pelues Marchionis Brandemburgensis pro se recipiat.

Magister coquine de Nortemberg, equum & scutellas Comitis Palatin̄.

Vicepincerna de Limpurg, equū & ciffum Regis Boemie.

Vicemarescallus de Pappenheim, equum, baculum, & mensuram predictam Ducis Saxon̄.

Si tamen ipsi in tali Imperiali seu Regali Curia presentes existant, & eorum quilibet in officio suo ministret: Si vero ipsi vel eorum aliqui a prefata curia se duxerint absentandos, extunc Imperialis vel Regalis Curie cottidiani ministri, vice absentiū, puta quilibet in loco eius absentis, cui in vocabulo seu officio communicat, sicut geret officium, sic tollat in premissis & fructum.

Imperialis insuper mensa vel Regia, sic debet aptari, vt vltra alias aule tabulas siue mensas, in altitudine sex pedū sit altius eleuata: in qua preter Imperatorē Romanum dumtaxat vel Regem, die solempnis Curie, nemo penitus collocetur.

Sedes vero & mensa Imp̄ris siue Regine, parabitur a latere in aula, ita quod ipsa mensa tribus pedibus Imperiali siue Regali mensa sit bassior, & totidem pedibus eminencior supra sedes Principum Electorum: qui Principes suas inter se in vna eademque altitudine sedes habebunt & mensas.

Infra sessionem Imperialem mense pro septem Principibus Electoribus ecclesiasticis & secularibus preparētur, tres videlꝫ a dextris, & tres alie a sinistris, & septima directe versus faciem Imperatoris vel Regis, sicut superius in capitulo de sessionibus & ordine Principum Electorum per nos est clarius diffinitum: ita etiam quod nullus alius, cuiuscumque digni-

dignitatis vel ſtatus exiſtat, ſedeat inter ipſos, vel ad menſas eorum.

Non liceat autem alicui predictorum ſecularium Principum Electorum, peracto officii ſui debito, ſe locare ad menſam ſibi paratam, donec alicui ſuorum conprincipum Electorum, eius officium reſtat agendum: S; cum aliqs eorũ vel aliqui, miniſterium ſuum expleuerint, ad preparatas ſibi menſas tranſeant, & iuxta illas ſtando, expectent donec ceteri miniſteria ſua expleuerint ſupradicta, & tunc demum oms & ſinguli pariter ad menſas ſibi poſitas ſe locabunt.

Inuenimus eciam ex clariſſimis relatibus & tradicionibus antiquorum, illud a tempore cuius contrarii iam nõ habetur memoria, per eos qui nos preceſſerunt feliciter, eſſe iugiter obſeruatum, vt Regis Romañ futuri Imperatoris in ciuitate Frankeford' celebraretur electio, & prima coronacio Aquisgrañ, & in opido Nuremberg' prima ſua regalis curia haberetur. Quapropter certis ex cauſis etiam futuris premiſſa ſeruari debere temporibus declaramus, niſi premiſſis omnibus, ſeu eorum alicui, impedimentum legittimum obuiaret.

Quandocunq; inſuper aliquis Princeps Elector eccleſiaſticus vel etiam ſecularis, iuſto impedimento detentus, ad Imperialem curiam vocatus venire non volens, nuncium vel procuratorem cuiuscumq; dignitatis vel ſtatus transmiſerit, miſſus ipſe, licet loco mittentis iuxta datum ſibi ab eo mandatum admitti debeat, in menſa tamen vel ſede que illi qui ipm transmittit deputata fuerit, non ſedebit.

Preterea cõſummatis hiis que in Imperiali qualibet Curia ſiue Regali fuerint pro tempore disponẽda, recipiet Magiſter Curie pro ſe totũ edificium ſeu ligneum apparatũ Imperialis ſiue Regie ſeſſionis vbi ſederit Imperator vel Rex Romañ cum Principibus Electoribus ad celebrandas ſolempnes curias vel feuda, ſicut premittitur, Principibus conferenda.

DEcernimus hoc Imperiali Edicto, vt Principes Electores eccleſiaſtici & ſeculares, dum feuda ſua ſiue regalia ab

Imperatore vel Rege recipiunt, ad dandum vel faciendum aliquid nulli penitus sint astricti. Nam pecunia que tali pretextu persoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipsi Principes Electores cūctis Imperialis Curie presint officiis, suos eciam habentes in huiusmodi officiis substitutos, datos ad hoc a Romanis Principibus & dotatos, videretur absurdum quod substituti Officiales a suis superioribus quocumque q̄sito colore exennia postularent: nisi forte ipsi Principes Electores sponte & liberaliter hiis aliquid largirentur.

Porro ceteri Principes Imperii, ecclesiastici vel seculares, dum predicto modo eorum aliquis feuda sua ab Imperatore Romañ suscipit, vel a Rege, dabit Officialibus Imperialis siue Regalis Curie sexaginta marcas argenti, cum vno fertone: nisi eorum aliquis priuilegio seu indulto Imperiali vel Regali, tueri se posset & probare se solutum vel exemptum a talibus, aut eciam aliis quibuscumque que solui in suscepcione feudorum huiusmodi consueuissent. Predictarum insuper sexaginta trium marcarum & fertonis diuisionem faciet Magister Curie Imperialis siue Regalis hoc modo: Primo enim decem marcas pro semetipso reseruans, dabit Cancellario Imperialis siue Regalis Curie decem marcas; magistris, notariis, dictatoribus tres marcas, & sigillatori pro cera & pergameno vnum fertonem: Ita videlicet quod Cancellarius & notarii Principi recipienti feudum non ad aliud quam ad dandum sibi testimonialem recepti feudi seu simplicis inuestiture litteram sint astricti.

Item dabit Magister Curie pincerne de Limpurg de prefata pecunia decem marcas, magistro coquine de Nortemberg x marcas, vicemarestallo de Pappenheim decem marcas, & camerario de Falkenstein decem marcas: tali tamen condicione, si ipsi & eorum quilibet in huiusmodi curiis solempnibus p̄ncialiter assunt in suis officiis ministrando. Si vero ipsi, vel aliqui eorum absentes fuerint, extunc offic' Imperialis siue Regalis Curie, qui talibus presunt officiis, eorum quorum suplent absenciam, singuli singulorum, sicut vicem nomenque & laborem sufferunt, sic lucrum & commoda reportabunt.

Dum

Dum autem Princeps aliquis equo vel alteri bestie insidens feuda sua ab Imperatore vel Rege recipit, equus ille seu bestia, cuiuscumque speciei sit, debetur superiori marescallo, id est Duci Saxoñ, si presens fuerit: alioquin illi de Pappenheim eius vicemarescallo: aut illo absente, Imperialis siuę Regalis Curie marescallo.

Cum sacri Romañ celsitudo Imperii diuersarum nacionum, moribus, vita & ydeomate distinctarum, leges habeat & gubernacula moderari: Dignum est, & cunctorum sapientum iudicio censetur expediens, quod Electores Principes, ipsius Imperii columpne & latera, diuersorum ydeomatum & linguarum differenciis instruantur, vt plures intelligant & intelligantur a pluribus, qui plurimorum necessitatibus reuelandis Cesaree sublimitati assistunt, in partem solicitudinis constituti. Quapropter statuimus, vt illustrium Principum, puta Regis Boem, Comitis Palatiñ Reni, Ducis Saxoñ, & Marchionis Brandemburḡ Electorum filii vel heredes & successores, cum verisimiliter Theotonicum ydeoma sibi naturaliter inditum scire presumatur, & ab infancia didicisse, incipiendo a septimo etatis sue anno in gramatica, Italica ac Slauica linguis instruantur, Ita quod infra quartumdecimum etatis annum existant in talibus iuxta datam sibi a Deo graciam eruditi: cum illud non solum vtile, ymmo ex causis premissis summe necessarium habeatur, eo quod ille lingue vt plurimum ad vsum & necessitatem sacri Imperii frequentari sint solite, & in hiis plus ardua ipsius Imperii negocia ventilentur. Hunc autem proficiendi modum in premissis ponimus obseruandum, vt relinquatur opcioni parentum, in filios, si quos habuerint, seu proximos, quos in Principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca dirigant, in quibus de huiusmodi possint lingvvagiis edoceri, vel in propriis domibus pedagogos instructores & pueros consocios in hiis peritos eis adiungant, quorum conuersacione pariter & doctrina in lingvvis ipsis valeant erudiri.



ATq; hic Palatini exemplaris tenor eſt. a quo quia Moguntina editio, anno 1575 vulgata, aliquot in locis variat, viſum eſt eam diſcrepantiam hic annotare, omiſſis tamen iis quæ in Moguntina editione vel deſunt vel minus recte habent. Vt ergo paucis ea duntaxat indicemus in quibus Moguntina editio noſtro exemplari vel præſtat vel aliqua ex parte par eſt:

Pag. 3, verſ. 6, Mog. habet, in ſeipſum diuiſum: *& v. 12*, in diuiſionem: *v. 18*, Troiam: *v. 26, &* tentaſti diuiſionẽ *v. 29*, Sane cũ ex officio.

P. 4, v. 5, *M.* in folio: 6, diademate decorati: 11, Imperii vero ſecundo: 20, antiquã & laudab.

P. 5, v. 5, M. direxerit: 6, potuerit: 7, modo præcedenti: 8, ſubſcriptas ipſo facto pœnas: 18, ſint omnino priuati: 20, eosdem ipſo facto: 30, & communitates.

P. 6, v. 10, *M.* duxerint exigendum: 14, pro qualitate perſon. 20, ea vice dumtaxat.

P. 7, v. 7, *M* noluerint, aut eis contraire præſumpſerint; & ſi quidem- 11, atque iure: *& mox*, niſus fuerit: 15, in omnes pœnas: 28, de Hohenloch & VVertheim, illi de Brunecke & Hanavvet 35, VVetzflar.

P. 8, v. 1, *M.* de Spanheim & de Feldentz: 8, Archimareſcalcum: 24, ſe valeant.

P. 9, v. 1, M. poſſint peruenire: 14, ſcriptum inuenitur clarius & expreſſum: 25, iidem: 28, ſupra proxime poſita: 32, equitibus.

P. 10, v. 4, *M.* fortaſſe: 9, careat ea vice: 19, libertates, priuilegia, gratias: 20, bannum quoque Imp. 32, vel eorum nunciis.

P. 11, v. 13, *M.* ſuffulti: 20, ſupponant: 22, tota ſua familia: 23, & Archiepiſc. 27, Ego N. Archiep. 28, iuro ad ſancta.

P. 12, v. 1, *M.* precio ſeu promiſſo: 2, ſic me Deus adiuuet: 11, & nullatenus: 15, pars eorum maior.

P. 13, v. 6, *M.* omnes in genere: 7, gratioſe tenebitur: 19, & inconuulſæ Trinit.

P. 14, v. 8, *M.* ex oppoſito lineari directione: 10, Archicancellariatu ſuo: 15, collationibus feudorum: 24, celebrari: 27, ſedere continget.

P. 15, v. 27, *M.* priuilegiorum ſuorum continentiam: 30, mareſcallatus.

P. 16, v. 1, *M.* Prouiſor Imperii: 3, reditus: 8, Fahnlehen: 19, impetitus: 28, deinceps perpetuo celebrari: 34, præeminentię.

P. 17, v. 3, *M.* caſu venire: 11, ſincera concordia: 17, Regem Boemiæ, Comitem Pal. 21, Principibus Electoribus: 31, defecerint: 33, non exiſtente: 36, heredibus maſculinis legit.

P. 18, v. 3, *M.* paternam: 5, eorundem iure: 7, Electorem, vel eius: 14, perpetuo haberi: quam dum attigerit, ius: 17, Principatibus ipſorum, Imperio ſacro vac. 18, Rex Romanorum: 21, Saluis tamen ſemp.

P. 19, v. 2, *conſentit etiam M. ſed conuenientior lectio eſt*, diuturnitate temporum & moribus vtentium præſcripta, *vt patet ex ſeq pag. verſu antepenultimo.* V. 7, *M.* præeminentiæ: 10, potuerint: 11, debeant: 12, poſſint: 16, priuilegium vel indultum præfatum: 22, citatus compar. 27, proceſſus ſeu ſententias: 29, fieri vel promulgari contingeret: 31, proceſſus ſeu ſententias: 33, poſſint.

P. 20, v. 7, *M.* executione eorundem: 10, liceat ad quodcumque: 12, contingeret: 28, theolonia: 32, ad præſens.

P. 21, v. 7, *M.* & ſubiectarum ei: 9, omni forma & modo: 28, *incluſum* modis, *& Mogunt. ed. agnoſcit, & pag. 23, v. 5.*

P. 22, v. 6, *M.* ſicut in præteritis: 14, citatio, proceſſus: 16, fiendæ & ferendæ: 32, In defectu: 36, ſiue delegatum.

P. 23, v. 5, *M.* pleniſſime extendi: 26, qui quidem Princ. 27, a feſto reſurrect. 34, locus quo ſequenti anno

P. 24, v. 3, *M.* frequentiam: 10, Reuocatoria priuilegiorum: 13, præeminentiæ: 15, immunitatibus: 17, ſeu alias a nobis: 18, & Regibus: 20, Regibus futuris temporibus concedenda: 26, præeminentiæ: 33, ſeu dominiis quæ ſuperius exprimuntur dictorum Prin. 34, derogare vel obuiare cenſentur, in aliquo, quo ad hoc reuocamus: 36, intelligi, reputari & haberi volumus de Imperatoriæ plenitudine poteſtatis.

P. 25, v. 6, *M.* facta renunciatione huiusmodi: 7, damna ipſis ſubſeq. 19, faciens: 27, viribus.

P. 26, v. 1, *M.* ſeu inter perſ. 2, receptionis: 3, coniurationes: 7, cuiuscumque conditionis aut ſtatus: 11, fecerint: 12, vt per ſacras: 14, ligis: 16, formaſſe: 20, ac legis noſtræ antiquæ: 33, ordinariæ ſubiectionis: 34, auſo temerarioq; contemnentes.

P. 27, v. 5, *M.* Quoniam autem patrocin. 13, qui tali fraude: 16, continuo vere & non ficte: 22, iuribus & libert. 28, præmiſſa Princip. 30, contingit vel continget.

P. 28, v. 3, *M.* applicentur: 5, aliquos in-

ſertam

sertam diffidationis causam: 8, damna quæcumque: 12, diffidationes huiusmodi: 21, & inuadere: 27, theolonia, *vt supra 20, 28: perperam vtrobiq, pro* telonia: 35, iam imminet, faciendam præsent.

P.29, v.10, *M.* plenam consummationem: 11, alias facturi: 14, coelectoribus nostris: 27, per vnum eorum inceptum: 34, concordandum, conueniendum & conclud.

P.30, v.5, *M.* debitum seu consuetum: 30, vniti.

P.31, v.20, *M.* viribus: 23, ordinationem: 24, vel alias: 30, hoc Imperiali edicto.

P.32, v.14, *M.* Imperatore seu Rege Rom. 22, linealiter: 33, nec non in benedict.

P.33, v.3, *M.* aut tertium: 7, ad hoc: 10, *vacuū in Palatino spatium est, vt hoc; nec* Siquis *maiori littera scriptum quam ceterorum paragraphorum initia. Moguntina editio*, XXIIII *hoc caput statuit, & hūc ei præscribit titulum*, Infra scriptæ leges promulgatæ sunt in Curia Metensi, per Dñm Carolum Quartum Romanorum Imperatorem & Bohemiæ regem augustum, anno Domini MCCCLVI, in die Natalis Christi, assistentibus sibi omnibus sacri Romani Imperii Electoribus, præsentibus dominis, venerabili in Christo patre, Domino T. Episcopo Albanensi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, ac Carolo Regis Franciæ primogenito, Normandiæ Duce illustri, ac Delfino Viennensi. V. 34, *M.* nullaque sacramenta.

P. 34, v. 5, *M* consequantur: 8, fuerint collatæ, non valeant: 11, ineunda factione ac soc. 15, absumuntur: 19, filiis cauimus, etiam de satellitib. 25, absolutione tantum ac venia: 28, posse *agnoscit etiam M. cum structura ratio* possit *exigat, vt v 32.* 33, *M.* vt conuicto.

P. 35, v.5, *M.* in causa huiusmodi: 6, ceteros Principes: 18, sed vt potius in sua perfecta integritate perpetua maneant, primogenitus filius succedat: 32, defectus existeret: 33, veniant: 34, Rex ipse omnib. 37, & ibi quilibet.

P. 36, v. 2, *M.* hæc fuerint: 12, Imperatrix: 18, Principum in solemn. 33, Vicemarescalcus: 34, Marestallus.

P.37, v. 32, *M* aquam Imperatori.

P.38, v.1, *M.* Post hæc: 2, vel ciphum: *rectius* scyphum: 4, *M.* permixtim: 8, ipsorum officiis: 26, Imperatricis.

P.39, v.11, relationibus: 21, non valens: 27, *paragraphus* Præterea consummatis, *in Mog. editione infra ponitur p. 41, v. 7, ante paragraphum* Cum sacri. V.33, *in eadem ed. Mog.* XXVI *caput ponitur, cum hoc titulo*, De Iuribus Officialium dum Principes feuda sua ab Imperatore vel Rege Romanorum recipiunt.

P.40, v.1, *M.* dandum vel soluendum: 6, videtur: 8, encenia: *aptius* xenia: *quo nomine Græci appellant dona hospitalia:* 13, *M.* sexaginta tres marcas, *vt mox v.18:* 16, *M.* feudorum consueuissent: 32, adsint: 33, officiales.

P. 41, v.3, *M.* Marestallo: *itemq, v.5 & 6:* v.4, affuerit: 14, releuandis: 16, Comitis Palatini, Ducis Sax. 18, Theutonicum idioma: *melius* Teutonicum: 19, *M.* sciri præsumatur: *melius* scire præsumantur: 21, *M.* Sclauica: 25, vsum & vtilitatem: 27, posuimus: 28, in filios *etiam M. sed conuenientius* vt filios.

Scriptura originalis nostri vbiq, fere obseruata est: in quo passim c pro t vsurpatum in verbalibus, denominatiuis & aliis eiuscemodi, & y pro i positum, nullaq, diphthongi adhibita. Distinctiones, quantum licuit, retenta sunt. &. vt hoc quoq, moneam, pag.36, v.2, post diffinito, *in Moguntina editione hypodiastole pro puncto est, sequente p minusculo.* P.2, v.9, *cum ms. nostro & Mog. ed. repone*, Comitis Pal. *vbi Mog. addit etiam* Rheni.